

art. 8). *Et ideo si intendat per huiusmodi additionem, vel diminutionem, alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum, quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia. Aliud autem est considerandum ex parte significationis verborum. Cum enim verba operentur in sacramentis quantum ad sensum, quem faciunt, ut supra dictum est (art. præced., ad 4, et ad 3), oportet considerare, utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia sic manifestum est, quod tollitur veritas sacramenti. Manifestum est autem, quod si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: et ideo non perficitur sacramentum. Unde Didymus dicit in lib. 2 de Spiritu Sancto, parum a principio (habetur hic liber in fine operum S. Hieron.): Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat (scilicet Patris et Filii et Spiritus Sancti), sine perfectione baptizabit. Si autem subtrahatur aliquid, quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, et per consequens nec sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ, quæ est: Hoc est enim corpus meum, ly enim, sublata, non tollit debitum sensum verborum, et ideo non impedit perfectionem sacramenti: quamvis possit contingere, quod ille, qui prætermittit, peccet ex negligentia vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus: puta, si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris, sicut Ariani baptizabant: et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti. Si vero sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio, medio, vel in fine, ut si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii ejus unigeniti, et Spiritus Sancti paraleti, erit verum baptisma. Et similiter si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et Beata Virgo te adjuvet, erit verum baptisma. Forte autem si diceret: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et Beata Virgo Maria, non esset baptismus: quia dicitur 1 ad Cor. 4: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Sed hoc verum est, si sic intelligatur in nomine Beate*

Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur: talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, et per consequens, tolleretur veritas sacramenti. Si vero sic intelligatur quod additur (et in nomine Beate Virginis) non quasi nomen Beate Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti.

Ad 1 ergo dicendum, quod ad verba sacre Scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad sensum, sed quantum ad expositionem sacre Scripturæ, multa eis verba a Doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba sacre Scripturæ apponere, ita quod dicantur esse de integritate sacre Scripturæ, quia hoc esset vitium falsitatis. Et similiter si quis diceret aliquid esse de necessitate formæ, quod non est.

Ad 2, dicendum, quod verba pertinent ad formam sacramenti ratione sensus significati. Et ideo quæcumque fiat additio vel subtractio verborum, quæ non addat aliquid aut subtrahat debito sensui, non tollitur species sacramenti.

Ad 3, dicendum, quod si sit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti, et per consequens veritas ejus: non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ intentionem proferentis, et intellectum verborum non auferat. Et idem est etiam dicendum de transpositione verborum, quia si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum, sicut patet de negatione præposita vel postposita signo. Si autem sit talis transpositio, quæ sensum locutionis non variet, non tollitur veritas sacramenti, quia, secundum quod Philosophus (lib. 2 Periher., cap. 4, parum ant. fin., t. 4) dicit, nomine et verba transposita idem significant.

Littera D. Thomæ satis est perspicua, de re autem dicemus disputatione sequenti. Solum est advertendum, in hac additione vel quacumque mutatione facta in verbis sacramentalibus, duo posse considerari. Primum, quando fit, vel non fit contra substantiam sacramenti. Secundum, quando licite vel illicite fiat: et utrumque promiscue attingit D. Thomas hoc art.; tamen, quia nobis in animo est, totam materiam moralem, separatim et distincte tradere, ideo hic solum agemus de his, quæ spectant ad substantiam sacramentorum: de his vero, quæ ad mores pertinent, infra in disputatione practica seu morali.

DISPUTATIO II.

DE MATERIA, ET FORMA SACRAMENTORUM.

In præcedenti disputatione, metaphysica ratione tractavimus de essentia sacramenti, per genus et differentiam ejus: in hac amplius est eadem essentia explicanda more physico, scilicet per materiam et formam, quæ doctrina proprie solum habet locum in sacramentis novæ legis. Si quid autem ad cætera sacramenta accommodari poterit, obiter etiam explicabimus.

SECTIO I.

Utrum oporteat sacramenta constare rebus et verbis, tanquam materia et forma.

1. *Verba non erant de ratione sacramentorum veterum.* — Principio dicendum est, hanc compositionem non esse de ratione sacramenti ut sic. Probatur, quia non fuit inventa in sacramentis veteribus, quæ supra ostendimus fuisse proprie, et univoce sacramenta: quod præsertim de circumcissione nemo negare potest; atque idem est de sacramento in lege naturæ instituto in remedium parvulorum. Constat autem ex Genes. 17, circumcissionis ritum in sola actione institutum fuisse sine mentione alicujus verbi. Idem legimus de agno paschali, Exod. 12, et de ordinatione sacerdotis, Lev. 8, et licet, in sacrificio pro peccato, dicatur Lev. 4: Et orabit pro eo sacerdos, tamen neque constat, illud fuisse sacramentum, neque orationem illam fuisse sub certa verborum forma proferendam, sed solum debuisse sacerdotem suo arbitrio orare, ut offerenti peccata remitterentur: unde in principio ejusdem capituli, ubi fit mentio expiationis peccatorum, nihil de aliquibus verbis proferendis dicitur, et si aliqua verba interdum dicebantur, vel a sacerdotibus, vel ab ipsis fidelibus, quibus sacramenta dabantur, illa non erant de substantia sacramenti, sed ad divinum cultum, vel commemorationem beneficiorum Dei pertinebant, ut D. Thomas hic, art. 6, ad 3, notavit. Ratio vero est, quam eodem loco ipse indicavit, videlicet statum veteris legis fuisse imperfectum, in quo fides et obscurior et magis implicita erat: et ideo non oportuit sacramenta illius temporis habere tam expressam significationem, sicut nunc habent;

atque adeo necesse non fuit, ut exterioribus rebus seu cæremoniis verba adjungerentur, quæ ad expressius significandum haberi solent. Generalius autem possumus rationem hanc explicare, scilicet, quia de ratione sacramenti, ut sic, solum est, ut sit exterior cæremonia sacra cum debita sanctificatione et significatione; hæc autem omnia possunt consistere absque illa compositione ex rebus et verbis, seu materia et forma.

2. *Sacramenta novæ legis constant rebus et verbis.* — Dico 2º sacramenta novæ legis omnia constant rebus et verbis, vel omnino proprie, vel secundum aliquam proportionem. Ita est explicanda sententia D. Thomæ hic, quæ communis est doctorum in 4, d. 1, et Alens. 4 p., q. 1, memb. 4, et q. 8, memb. 3, art. 1, 2 et 3. Et explicatur primo inductione facta ex Scripturis, nam de baptismo dicitur, Matth. ult.: *Baptizantes eos, ecce rem, in nomine Patris, etc.*, ecce verba, quæ Paulus distincte explicuit ad Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ubi, licet Hier. per verbum vitæ intelligat verbum doctrinæ, sensus tamen est tropologicus, ut ipse fateatur: nam ad litteram sermo est de verbo consecratorio sacramenti, ut Chrysostomus, hom. 20, Theodor. et alii Græci, Ambrosius, Anselmus, D. Thomas et Latini exponunt. Præterea, in institutione Eucharistiæ legimus accepisse Christum res aliquas, scilicet, panem et vinum, et dixisse verbum: *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* Item de extrema unctione, Jac. 5: *Ungentes eos oleo sancto in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum.* De cæteris vero quamvis non sint tam apertæ Scripturæ, tamen ex traditione Ecclesiæ constat, ut Concil. Florent. tandem explicuit. Ratio a priori posita est in voluntate Christi sic instituentis; congruentiæ vero, quas D. Thomas attulit, optimæ sunt, ex quibus tertia maxime videtur litteralis, quæ in hunc modum potest explicari: nam res externæ, seu actiones sensibiles, sunt valde accommodatæ ad exteriorem cultum divinum, et ideo in omnibus sacramentis tam veteribus, quam novis adhibitæ sunt: verba autem conferunt, ut significatio sit certior, et expressior, qualis esse debet in lege gratiæ propter huius status perfectionem: et ideo conveniens fuit, sacramenta huius legis ex rebus et verbis componi. Vel alia ratione potest hoc explicari ex alio fine sacramentorum, qui est, per sensibilia manuducere hominem ad intelligibilia

cognoscenda : duo enim sunt sensus, qui intellectui maxime deserviunt, visus scilicet, et auditus, quibus duo modi acquirendi scientiam accommodantur, scilicet, per inventionem, et disciplinam : et ideo ad spiritualia intelligenda multum homini confert representatio aliqua sensibilis visui objecta, quæ fit rebus seu actione aliqua, vel usu alicujus rei sensibilis : si autem huic representationi adjungantur verba, perficitur doctrina, et representatio, et juvatur homo, ut partim quasi per inventionem, et collationem rei, quam videt, cum ea, quam non videt, partim per disciplinam, quam verbis accipit, perfectius spiritualia concipiat, et intelligat. Cur autem in assertionem addiderim, has res et verba, vel proprie, vel secundum accommodationem inveniri in omnibus sacramentis, statim in responsione ad primam objectionem explicabimus.

3. *Res et verba instar materiæ et formæ concurrunt.* — *Verba rerum significationem complent.* — *Dubium.* — Dico 3^o, hanc compositionem sacramentorum ex rebus et verbis optime accommodatam esse compositioni ex materia et forma. Hæc assertio satis probatur communi consensu Theologorum omnium, cui Florent. Concil. maximam auctoritatem adhibuit : nam ex rebus et verbis unum sacramentum componitur, et non omnino per accidens, seu per aggregationem : ergo optime intelligitur, unum concurrere per modum materiæ et potentiæ, et alterum per modum actus et formæ. Quod vero res et verba hoc modo concurrant, recte explicatur a D. Thoma, quia sola res, vel actio exterior de se est valde indifferens et imperfecta ad significandum, et ideo censetur concurrere per modum materiæ : unde ab Augustino et Hugone (ut supra vidimus) vocatur elementum : verba autem censentur habere rationem formæ, quia determinant significationem, et quasi constituunt ac complent sacramenta, juxta illud Augustini, tract. 80 in Joan. : *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*

4. Sed occurrit difficultas circa has duas assertiones, de sacramentis confessionis, et matrimonii : nam illud perficitur solis verbis, quia tam confessio, quam absolutio verbis tantum fit : hoc vero interdum fit solis verbis, quibus utriusque conjugis consensus explicatur, interdum sine ullis verbis, nutibus videlicet, aut aliis signis. Ad hanc difficultatem quidam hæretici negarunt, hæc duo esse sa-

cramenta : existimabant enim materiam sacramenti debere esse rem ita materialem, ut et contrectari manibus, et oculis percipi possit, quod ex suo cerebro sine auctoritate vel ratione confingunt : quod autem illa sint propria, et verissima sacramenta, suo ioco ostendemus. Aliter opinatus est Dur., in 4. d. 4, quæst. 3, qui hoc argumento coactus, negat assertionem secundam esse universalem, aut veritatem habere in his duobus sacramentis ; et quod ad matrimonium attinet, idem opinatur Adrianus, quæst. 2, de Baptismo, ad finem. Sed immerito deserunt communem sententiam, cum commode possit explicari, et accommodari : et res hæc magis in modo loquendi, quam in re aliqua consistat. Igitur in sacramento confessionis certum est, requiri verba ex parte formæ in omni rigore et proprietate, ut ex Concil. Florent. colligitur, et in seq. tomo latius ostendemus. Rursus concurrunt in hoc sacramento actus pœnitentis, quasi materia, ut Concil. Florent. et Trident. dixerunt, et hoc modo cum verbis concurrunt res aliqua, quia nomine rei non intelligitur tantum substantia sensibilis, sed quælibet actio sensibilis, quæ verbis supponatur, ut D. Thomas dixit. Atque hoc modo, actus satisfactionis, et contritionis, sunt materia hujus sacramenti, et ipsa etiam confessio, licet verbis fieri possit, est materia, quia respectu absolutionis est quid imperfectum, inchoatum, et informe. In omni enim judicio accusatio est inchoatio quædam judicii, sententia vero judicis est quæ judicium perficit. Sacramentum autem confessionis perficitur per modum cujusdam judicii, in quo confessio peccatorum concurrat ut accusatio rei : absolutio vero sacerdotis, ut sententia judicis ; et ita, quod ad rem spectat, hoc sacramentum est sacra quædam cæremonia, quæ constat partim ex actibus pœnitentis, tanquam materia (in quibus quasi accidentarium est, quod verba misceantur, per se vero est quod dolorosam accusationem, et satisfactionem contineant), partim ex verbis sacerdotis sententiam proferentis. De matrimonio multa dicit Soto hoc loco, quæ prætermitto, quia sunt alterius considerationis. Illud solum adverto, eum quidem satis impugnare aliorum sententias, non tamen exacte exponere, quomodo in hoc sacramento reperiuntur res et verba, seu materia et forma : dicit enim, consensus expressos utriusque conjugis sibi invicem esse materiam et formam ; non tamen declarat, qua ratione id fiat. Bre-

viter ergo dicendum est, externam cæremoniâ hujus sacramenti esse contractum, qui inter conjuges perficitur : in omni autem hujusmodi contractu duo interveniunt, scilicet traditio, et acceptatio illius rei, de qua est contractus, ut in præsentem est mutua traditio, et acceptatio corporum : hæc autem duo, scilicet, traditio, et acceptatio ita in contractu concurrunt, ut traditio supponatur acceptationi, et in illa inchoetur, per hanc vero consummetur contractus, atque hinc fit, ut consensus utriusque conjugis sive verbis, sive nutibus exprimat, quatenus mutua traditionem continent, habeant rationem materiæ ; quatenus vero efficiunt mutua acceptationem, habeant rationem formæ : atque hoc modo facile explicatur in hoc sacramento tertia assertio posita. Quod vero ad secundum attinet, peculiare est huic sacramento, ut neque in materia, neque in forma requiratur verba in omni rigore et proprietate sumpta, quia Christus Dominus nihil aliud voluit ad sacramentum, ut sensibile signum, exigere, quam quod ad perficiendum humanum contractum esset necessarium : ad hoc autem quælibet signa sufficiunt, quibus consensus contrahentium exprimitur, etiamsi non sint verba proprie. Tamen quia verba determinant, ac perficiunt significationem, ideo illa signa, quibus exprimitur acceptatio mutua utriusque conjugis, dicuntur verba, vel proprie, vel proportionem quadam, quia illis perficitur significatio : et eadem ratione mutua traditio, quamvis verbis fiat, quia est quid informe, et quia tendit ad hunc effectum realem, seu moralem, qui est translatio domini corporis utriusque conjugis, ideo dicitur habere rationem materiæ seu rei, ex qua conficitur sacramentum. Atque ita constat, cur in secunda assertionem dixerim, in omnibus sacramentis inveniri res, et verba, vel proprie, vel proportionem quadam.

5. *Objectio.* — *Responsio prima.* — *Responsio secunda.* — Secunda est difficultas præcipue circa tertiam assertionem, nam in sacramentis propria forma est significatio : nam in omni signo materia est res ad significandum imposita, forma vero signum constituens est significatio ; ergo præter hanc nulla alia est forma sacramenti, sed potius quidquid significat, sive sit res, sive verbum, est materia sacramenti. Respondetur, hæc duo non pugnare inter se, quod significatio sit ultima forma totius sacramenti, quæ adæquate inest toti composito ex rebus et verbis

et quod in eo composito una pars ad alteram comparetur, sicut forma ad materiam, quod significavit hic Cajetanus, art. 6, et exemplis rerum artificialium potest facile explicari : domus enim unum quid est, cujus ultima forma est totius domus figura : hæc autem forma inest composito ex multis materialibus partibus, ita inter se dispositis ac ordinatis, ut una respectu alterius sit veluti forma et materia ; nam fundamentum, quod supponitur, est quid imperfectum, et quasi materia, tectum vero quasi forma. Ratio autem est, quia compositio materiæ et formæ non tribuitur his rebus proprie, sed secundum quamdam habitudinem et accommodationem, et ideo juxta varios respectus et habitudines potest eadem res recipere has denominationes respectu diversorum. Deinde dici potest, materiam et formam sacramentorum habere suas partiales significationes, ratione quarum ad unum integrum signum, seu sacramentum componendum conveniunt. Quo fit ut licet tota significatio sit veluti forma totius, tamen comparando significationem elementi ad significationem verbi, illa sit quasi materia, hæc vero ut forma, quia, ut supra dicebam, significatio elementi est magis indeterminata et imperfecta, determinatur autem atque perficitur per significationem formæ. Quod etiam explicari potest adducto exemplo ex rebus artificialibus, nam partes componentes domum per suas partiales figuras concurrunt ad totam figuram domus componendam, et una ad alteram tamquam materia ad formam comparatur. Neque obstat, quod Cajetanus, hic, has partiales significationes in rebus ac verbis sacramentorum negare visus est, quia nulla ratione id persuadet, nec video cur negandum sit tam ablutionem, quam verba : *Ego te baptizo, significare effectum baptismi, scilicet ablutionem animæ ; et eadem ratio est de cæteris sacramentis, nam verba Eucharistiæ significant præsentiam Christi, species vero animæ nutritionem, et unionem fidelium inter se, et cum Christo, et sic de cæteris.* Neque partialis hæc significatio impedit significationem totius, sed potius utraque concurrat ad componendam illam, imo (si proprie loquamur) non habent hæ partes essentielles propriam significationem sacramentalem, nisi in ordine ad totum, quod componunt : quo sensu dici potest sacramentalis significatio composita, quodammodo indivisibilis : quia si sacramentum non sit essentialiter perfectum, omnino perit sacramentalis signifi-

catio in toto et in partibus : hoc autem non obstat quominus partes ipsæ in toto suas habeant significationes partiales, ut videtur esse aperta sententia D. Thomæ hic, art. 6.

SECTIO II.

Utrum materia et forma sacramentorum sint partes componentes, et constituentes sacramentum.

1. *Prima opinio.* — Quæstionem hanc sic genere propositam pauci ex Theologis attigerunt, agentes vero de singulis sacramentis, nonnulla indicant, quæ videri possunt generali doctrinæ traditæ esse contraria, et ideo necessaria hoc loco visa est. Sit ergo prima opinio, quæ in universum negat, formam sacramenti esse partem sacramenti : ita sentit tractans de baptismo Soto d. 3, art. 1, ubi consequenter dicit, baptismum supponere pro ablutione, imo totam significationem baptismi in ablutione positam esse, atque idem docet agens de sacramento pœnitentiæ, dist. 14, art. 1, atque eadem est ratio de cæteris sacramentis, quæ in usu consistunt, et de Eucharistia est multo major, quia materia ejus est permanens, unde dist. 8, art. 1, de illo sacramento tractans dicit, formam tantum esse quoddam sacramentale. Fundamentum ejus præcipuum est, quia in artificialibus materia est tota substantia rei, et pro ea supponunt nomina hujusmodi res significantia. Omitto conjecturas alias, ex quibusdam nominibus sacramentorum desumptas, quia nullam vim habent, et manifestam continent æquivocationem, ut statim dicam.

2. *Secunda opinio.* — Secunda sententia est, materiam et formam sacramentorum non semper esse partes sacramenti, sed interdum esse, interdum non esse, juxta varias rationes, et significationes sacramentorum. Sacramentum enim illud est, in quo inest significatio sacramentalis : hæc autem interdum est in toto composito ex materia et forma, ut in baptismo, confirmatione, extrema unctione, in quibus materia et forma sunt partes componentes sacramentum. Interdum vero significatio est in sola forma, ut in absolutione sacerdotis, et tunc illa est totum sacramentum, materia vero solum concurrat, ut quid prærequisitum : e contrario autem aliquando est significatio tota in materia, forma vero solum se habet ut efficiens respectu materiæ, et tunc non est pars sacramenti, sed sola materia est totum sacramentum,

ut in Eucharistia videre licet : tota hæc sententia sumpta est ex Scoto in 4, d. 3, quæst. 1, d. 8, quæst. 1 et 2, d. 14, quæst. 4. Fundamentum esse potest, quia sacramentum est id, quod est impositum ad significandum; non semper autem imponitur compositum totum ad significandum, sed interdum tota significatio est in altera parte, ut in exemplis demonstratum est. Confirmatur, quia Concil. Florent. solum dixit, sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum debita intentione, quorum si aliquid desit, non fit sacramentum, ex quibus solum habetur, hæc tria esse necessaria, non vero quod materia et forma sint partes, quemadmodum nec minister pars est sacramenti.

3. *Vera sententia.* — *Nec sola materia, nec sola forma sacramenti significat.* — *Sacramenta non solum per formam, sed etiam per materiam efficiunt.* — *Sacramentum non supponit pro materia solum.* — Dico tamen primo: omnia sacramenta, quæ consistunt in usu, constant rebus et verbis, seu materia et forma, tanquam ex partibus, quibus componuntur. Hæc est sententia D. Thomæ hic art. 9, ad 2, et art. 7, ubi dicit, sacramentum esse unum ex materia et forma compositum, quomodo loquitur etiam infra, q. 86, art. 9, et eadem locutione utuntur communiter Theologi in 4, d. 4; Alens., 4 par., q. 8, memb. 3, art. 1 et 2; Mars. in 4, quæst. 1, art. 1, et Soto his articulis sæpe utitur eadem locutione, non tamen satis constanter, ut mihi quidem videtur. Quia si sacramentum est unum compositum ex materia et forma, quomodo negari potest illas esse partes? Favent etiam huic conclusioni illa verba Augustini sæpe citata : Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Doctrina etiam Concil. Florent. non parum favet huic assertioni, quia ipsa nomina materiæ et formæ sunt nomina partium componentium unum totum : ergo, cum Concilium dicat, res et verba concurrere ut materiam et formam, et de persona ministri id non affirmet, satis significat, illa concurrere per modum partium, ministrum vero extrinsece, per modum causæ efficientis. Hinc sumitur prima ratio sumpta ex analogia materiæ et formæ, quæ ad hoc inventa est in sacramentis, eisque accommodata, ut indicaretur quid sit de substantia sacramenti, quia per has voces significantur partes essentielles, vel substantiales rei : ergo ex ipsis nominibus satis colligitur, res et

verba, quæ dicuntur materia et forma sacramenti, esse partes sacramenti. Secunda, quia in his sacramentis, nec sola materia, nec sola forma significat, sed utraque; ergo ex utraque componitur sacramentum. Antecedens patet inductione, nam in baptismo, et in omnibus similibus, Scotus id admittit : contra Sotum vero probatur, quia ablutio significationem sacramentalem habet, ut ipse concedit, verba autem non solum significant, verum etiam ablutio, nam ad hoc addita sunt, ut determinent, et perficiant significationem, ut D. Thomas hic expresse docuit, et ex natura et modo significandi ipsorum verborum satis constare potest. Item in pœnitentia per formam significatur remissio peccatorum, quæ est significatio sacramentalis. Idem aperte constat de forma extremæ unctionis : Dimittat tibi Deus, etc., et de forma confirmationis præsertim in illis verbis : Et confirmo te Chrismate salutis, et de forma Ordinis : Accipe potestatem, etc.; de forma etiam Eucharistiæ per se notum est significare sacramentalem effectum; in matrimonio autem, non est ulla ratio, cur traditio potius, quam acceptatio significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, seu spirituale vinculum charitatis, quandoquidem matrimonii vinculum non magis traditione, quam acceptatione perficitur. Cur ergo in solo baptismo negantur verba formæ : Ego te baptizo, significare sacramentaliter internam animi ablutionem? id certe, nec ratione ulla probabili, neque alicujus Theologi auctoritate nititur. Atque similis ratio fieri potest contra Scot. de materia sacramenti pœnitentiæ nam in omnibus aliis sacramentis materia habet significationem sacramentalem, ut patet de ablutione, unctione chrismais, vel olei, traditione calicis, aut libri, etc., traditionis mutue corporis in matrimonio : cur ergo id negabitur in confessione? quæ non minorem proportionem habet ad significandam expulsionem peccati ab anima, quam cæteræ materiæ ad explicandos suos effectus, nec minus est de substantia talis sacramenti ex Christi Domini institutione; ergo non minus habet significationem sacramentalem, quam reliquæ materiæ. Confirmatur tota hæc ratio, quia sacramenta efficiunt quod significant; sed non solum efficiunt per formam, sed etiam per materiam; de aqua enim baptismi, ait Augustinus : Corpus tangit, et cor abluat; et eadem est ratio de cæteris, et specialiter de sacramento pœnitentiæ, et generaliter de

omnibus id docet D. Thomæ infra, quæst. 86, art. 6, ubi latius tractandum est. Neque e contrario efficiunt per solam materiam, sed etiam per formam : nam de baptismo ait Augustinus aquam habere vim abluendi animam ratione adjuncti verbi; multo ergo magis ipsum verbum habebit hanc vim : quæ ratio eodem modo procedit in confirmatione, et extrema unctione; de Eucharistia vero, et absolutione pœnitentiæ nemo dubitat; neque etiam est ulla ratio dubitandi de forma Ordinis, quæ magis profertur per modum traditionis, seu imperii; et in matrimonio est res clara propter rationem supra factam : ergo sicut omnes materiæ horum sacramentorum habent efficientiam sacramentalem, ita etiam significationem : ergo componunt intrinsece sacramenta tanquam partes substantiales eorum. Unde adjungi potest tertia ratio contra Sot. retorquendo argumentum ejus; nam in re arte facta omnia illa, quæ componunt totum, in quo inest forma et figura artificii, sunt partes componentes ipsum artificium, ut in exemplo domus supra posito, tectum, fundamentum, et reliqua, sunt partes componentes domum, quia ex omnibus consurgit una figura domus, quamvis una pars respectu alterius dicatur habere rationem formæ, vel materiæ : ergo similiter in sacramento res et verba, quæ inter se comparantur ut materia et forma, erunt partes intrinsece componentes ipsum sacramentum : quia ex illis componitur integrum signum sensibile, in quo est tota significatio sacramenti : unde illæ duæ partes, licet inter se comparantur ut materia et forma, tamen in ordine ad significationem materialiter se habent, ut supra dictum est. Unde infero, falsum esse quod Soto ait, sacramentum supponere pro sola materia, v. gr. baptismum pro ablutione, maleque applicare regulam dialecticam, artificialia nomina supponere pro re materiali, ut subest tali figuræ, vel formæ; quia sicut in re arte facta supponunt pro tota materia, quæ subest formæ totius, et non pro una parte materiæ, ut substat alteri : domus enim non supponit pro fundamento, ut subest parieti, vel tecto, sed pro his omnibus, ut ex eis resultat una figura : ita signum ad placitum supponit pro tota et adæquata materia significationis, quæ imposita est ad significandum, et non pro aliqua parte ejus, quæ ad alteram, ut materia ad formam, comparatur : quia in hujusmodi signo veluti ultima forma est significatio, et reliqua omnia sunt veluti substantia

seu suppositum talis formæ; sic igitur sacramentum, quod in usu consistit (de hoc enim agimus) non supponit pro sola materia, aut pro sola forma, sed pro composito ex utraque, quod est quasi subjectum adæquatum talis significationis. Neque obstat argumentum, quod Soto sumit ex nominibus sacramentorum, quia scilicet baptismus solum significat ablutionem, et Chrisma unctionem, et sic de aliis: non enim in his nominibus attendendum est, unde sumpta sunt, sed ad quid significandum imposita sunt. Interdum vero sumitur a materia proxima, ut unctio; interdum vero e materia remota, ut Chrisma; interdum a ritu aliquo, ut manus impositio; interdum a forma, aliquando enim sacramentum pœnitentiæ vocari solet absolutio; tamen simpliciter imponuntur ad significandum totum sacramentum, et hoc modo non significant solam materiam, sed totum compositum, pro quo etiam supponunt.

4. *Dubium.* — *Inter materiam et formam sacramentalem, quæ propinquitas requiratur.* — Sed superest difficultas, quia, si hæc materia et forma sunt partes sacramenti, ergo debent simul esse, et uniri, ut unum sacramentum componant: hæc enim sunt de ratione materiæ et formæ, quæ sunt partes unius compositi; sed neutrum horum reperitur in hac materia et forma: nam, cum sint res successivæ, sæpe fit, ut quando sit forma, jam non sit materia, et e converso: qui enim heri confessus est, hodie aliquando absolvitur, et sic de cæteris: nulla etiam unio inter has partes fit, nam et sunt res diversarum rationum, quæ nullam realem unionem admittunt, et sæpe distant, et tempore, et loco. Respondetur, cum ratio materiæ et formæ non omnino proprie, sed secundum quamdam accommodationem his partibus sacramenti tribuatur, non oportere, ut conditiones materiæ et formæ cum omni proprietate, et rigore, eis convenient; necessarium tamen esse, ut secundum aliquam analogiam, vel proportionem illas participent. Oportet ergo, ut aliquo modo sint simul, et ut aliquo modo conjungantur, ut argumentum factum probat; quia, nisi aliquo modo conjungerentur, non facerent aliquo modo unum, propter quod dixit Augustinus: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum: nam verbum illud accedendi, conjunctionem aliquam significat: si autem non essent simul, non possent conjungi, et ideo ipsæ formæ sacramentorum sæpe requirunt hanc conjunctionem, vel pro-

pinquitatem; nam cum minister dicit: Ego te baptizo, illa verba requirunt, ut actio baptizandi tunc simul fiat; nam si antea facta esset, non satis esset ad veritatem formæ indicantis materiam de præsentia. Confirmatur primo, quia materia sacramenti, ut dictum est, determinatur per formam: ergo necesse est, ut cum illa jungatur, et aliquomodo simul cum illa sit: nam si essent omnino disjunctæ, et quasi disparatæ, non posset una in alteram cadere, et eam determinare. Tandem in ipsamet forma sacramenti, quæ pluribus dictionibus, seu partibus constat, et in unum in omni oratione necesse est, ut partes ejus vel simul, vel cum debita propinquitate et conjunctione proferantur: alias neque unam orationem, neque unum signum componerent: ergo similiter in toto sacramento, ut materia et forma componant unum signum, unam integram significationem habens, necesse est, ut similitatem aliquam, et conjunctionem habeant. Quæ similtas, et conjunctio exemplo declarari potest: nam sicut oratio est quædam res successiva, cujus partes per debitam quamdam propinquitatem, et certum ordinem conjunguntur, neque aliud genus unionis inter illas exquirere oportet, ita sacramentum, de quo agimus, est res, quæ successive perficitur, inter cujus partes tantum est necessaria debita propinquitas et subordinatio, ut per modum materiæ et formæ unum sacramentum componant.

5. *Non requiritur physica et indivisibilis concomitantia.* — Sed quæres, quanta debeat esse hæc propinquitas. Quidam dicunt necessarium esse, ut antequam finiatur tota materialis actio, v. gr. ablutio, perficiatur tota forma. Ita sentit Gloss. in cap. *Detrahet* 1, quæst. 1. Sed est falsa, et improbabilis sententia: nam in primis id affirmat sine ullo fundamento, quia neque ad veritatem formæ, vel materiæ id necessarium est, neque ad compositionem totius, quia in rebus artificialibus, præsertim successivis, non est necessaria tam scrupulosa propinquitas seu conjunctio. Item, cur magis necessarium est, ut forma ante materiam, quam materia ante formam perficiatur? Nulla certe assignari potest ratio: requirere autem, ut ambæ finiatur in eodem instanti, est præter humanam facultatem, unde est revocare in dubium omnium sacramentorum veritatem. Dicitur fortasse, esse necessarium ad veritatem formæ de præsentia, quod, cum ipsa absolvitur, adhuc exercetur actio, quæ est materia sacramenti, ut

v. gr. ablutio, quia eam indicat forma tamquam præsentem. Sed in primis hæc ratio ad summum habet locum in uno vel altero sacramento. Deinde etiam in illis sacramentis, in quibus forma ita indicat actionem materialem, non requiritur ad veritatem formæ tam physica et indivisibilis præsentia seu concomitantia, quia per illa verba in communi modo loquendi solum significatur actio, quæ hic et nunc moraliter exercetur, sive in rigore actio coexistat verbis, sive paulo post exercenda sit, vel parum antea præcesserit.

6. *Propinquitas moralis sufficit.* — *Major, minorve propinquitas pro diversitate sacramentorum postulatur.* — Hinc refellitur aliorum opinio, qui dicunt oportere ut antequam actio, quæ est materia, omnino absolvatur, inchoetur forma, et e converso, ut antequam absolvatur forma, inchoetur materia, ita ut in aliqua sui parte concurrant et coexistent, quæcumque illa sit. Pro qua sententia citatur Richard. in 4, d. 3, art. 4, quæst. 2, ubi dicit quidem hoc sufficere, non tamen dicit esse necessarium: eam vero sententiam indicat Scotus, tractans de baptismo, d. 6, quæst. 3; clarius et prolixius Cajetanus, tom. 4 opusc., tract. 26. Cujus fundamentum est illud supra tactum, quoniam ad veritatem formæ requiritur hæc præsentia, seu conjunctio cum materia; nam cum ego profero hæc verba: Ego te baptizo, si tunc actu non exerceo illum actum saltem secundum aliquam partem ejus, non erit vera enuntiatio. Contra hanc vero sententiam procedunt omnia argumenta facta contra præcedentem, et præsertim illud morale, quod sine causa injicit magnum scrupulum circa veritatem et certitudinem sacramentorum: actiones enim morales habent illum sensum, nec expediebat ut speciali intentione Christi instituentis hoc exigeretur. Unde recte objicit Soto, quia cum baptizanda est magna multitudo, ut v. gr. cum Apostoli uno die tria millia hominum baptizabant, non tam metaphysice attendebant, ut pars materiæ coexisteret parti formæ, sed moraliter utrumque faciebant. Præterea in sacramento confessionis non potest habere locum illa opinio, nam aliquo tempore post absolutam confessionem datur absolutio, nec necesse est, ut tunc exerceatur aliquis dolor, vel actus pœnitentiæ: nam si confessio fuit dolorosa, etiam si tunc sit omnino distractus vel phræneticus, perficitur sacramentum; satisfactio vero postea futura, et magis distat, et non est essentialis, et fieri potest ut nunquam se-

quatur. Dicendum est ergo, inter hanc materiam et formam requiri eam propinquitatem moralem, quæ juxta verborum formæ significationem, et juxta qualitatem actionis per quam fit sacramentum, sufficiat tum ad veritatem formæ, tum etiam ut moraliter censeatur cadere super talem materiam, et cum illa conjungi ad unum signum constituendum. Ita sentit Richar. supra, et latius Soto d. 3, art. 8. Nec potest certior regula tradi, quia non potest metaphysice designari, quanta debeat esse hæc propinquitas: est ergo moraliter pensanda, et observandum ne fiat magna interpolatio, ut ex modo, quo fit actio, et quo proferuntur verba, juxta communem et humanum modum concipiendi intelligatur unum alteri applicari, atque unum ab altero determinari. Unde fit, pro diversitate sacramentorum diversam etiam requiri propinquitatem materiæ cum forma, nam quando materia est actio ipsius ministri, et hæc indicatur per pronomen demonstrativum, aut per verbum indicativi modi, tunc major requiritur propinquitas, ut in baptismo, confirmatione, et extrema unctione; ac fere idem est in sacramento Ordinis, ubi per formam significatur traditio potestatis, quam etiam significat traditio libri, et calicis, etc., ideo necesse etiam est, ut illa duo moraliter simul fiant; in sacramento etiam matrimonii tanta propinquitas requiritur inter mutuam traditionem, et acceptance, quanta est ad humanum contractum necessaria: at vero in sacramento pœnitentiæ, quia materia ejus nullo modo est actio ministri, sed ipsius pœnitentiæ, et quia illud sacramentum perficitur per modum judicii, tota materia, quæ fit per modum accusationis, supponitur ante sententiæ prolationem, in qua forma consistit, et ideo, in eo sacramento sufficit ea similtas, quæ moraliter satis sit, ut idem judicium peragi, et per sententiam consummari intelligatur.

7. *Specialis est difficultas in sacramento Eucharistiæ.* — Quæ hactenus diximus, ut in assertionem explicui, solum habent locum in sex sacramentis, quæ in usu consistunt: nam cum in modo quo fiunt, existunt, et componuntur, convenient, potest generalis doctrina de omnibus tradi; at vero de sacramento Eucharistiæ est specialis difficultas propter proprium et specialem modum existendi, significandi, et efficiendi, quem habet: nam forma ejus in verbis consistit, quæ transeunt, sicut in aliis sacramentis, materia autem ejus proxima non est aliqua actio vel usus transiens, sed